

Data Pisis. per manum. Aimerici sc̄ Romane ecclesie diaconi Card. et Cancell. III Non. Januarii. indictione XIII^o. incarnationis dominice anno. M.C. XXXVI. pontificatus domini Innoc. pp. II. anno VI^o.

Unter der Abschrift in Magdeburg steht: *Johannes sola miseratione divina tit. sci Stephani in celio monte presbiter cardinalis apostolice sedis legatus. Dilectis fratribus. abbati et monachis de Hisinbrn̄. in uero salutari salutem. Justis petentium desideriis facilem debemus prebere assensum. Ea propter dilectissimi in domino fratres auctoritate legationis qua fungimur possessiones superius memoratas sicut eas iuste et pacifice possidetis uobis uestrisque successoribus confirmamus. nec non et sub protectione nostra personas uestras recipimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc confirmationis et protectionis paginam infringere uel ei ausu temerario contrahere: si quis autem hoc attentare presumerit. indignationem omnipotentis dei et beatorum apostolorum eius petri et pauli. domini pape. et nostram se nouerit incursum.*
 Data apud Madeburg. tercio decimo Kal. februarii. (Ohne Jahr.) Angehängt ein spitzig parabolisches Siegel in weissem Wachs: ein stehender Bischof; Umschrift unleserlich.

Eugenius episcopus seruus seruorum dei. dilecto filio Sigebodoni Ilisineburgensi abbati. eiusque successoribus regulariter substituendis. in perpetuum. Quia sollicitudini apostolice competit. religionem deo placentem modis omnibus propagare et defensare. propterea dilectissime in domino fili Sigebodo Ilisineburgensis abbas tuas tuorumque fratrum petitiones humillimas clementer admittimus. et secundum tenorem priuilegii quod predecessor noster felicitis memorie Innocentius papa secundus uestro cenobio contulit. quecumque uobis auctoritate apostolica statuens confirmauit. nos quoque eadem auctoritate statuentes confirmamus. que prohibuit prohibemus. que concessit nos quoque firma uobis et illibata manere. sub perpetui anathematis interminatione decernimus. Ex donatione uidelicet Arnoldi episcopi qui cenobii uestri deuotissimus exti-